



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ieremiæ Prophetæ Threni Carmine redditi

Latomus, Jacobus

Antverpiae, 1587

Canticvm Zachariæ. Benedictus Dominus Deus. Luc. 1.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69084](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69084)

Me pius ætherea siquidem respexit ab arce,
 Quæ famula abiectæ conditionis eram.
 Ex hoc me dicent omnes per cuncta beatam
 Sæcula, & hanc laudem à posteritate feram.
 Fecit enim mihi magna potens, sanctissima cuius
 Nomina sunt omni tempore digna coli.
 Huius erit pietas in prolem è prole perennis,
 His quibus ipse sui cernet inesse metum.
 Exeruit neruosque sui, viresque lacerti,
 Orsa superborum nec tulit esse rata.
 Præcipites alta exturbauit sede potentes,
 Dans humili in summum surgere posse gradum.
 Esurie pressos rebus ditauit opimis,
 Et liquit vacuos auro, opibusque graues.
 Postremò Isacidam puerû Dominusque Paterque,
 Suscepit cura commiserante suum.
 Haud animi oblitus, promissorumque suorum,
 Quæ prisco nostris tempore fecit auis.
 Quæ dedit Abramo quondam, sobolique futuræ,
 Et quotquot deinceps seminis huius erunt.

CANTICVM ZACHARIÆ.

Benedictus Dominus Deus.

LUC. I.

A Bramidum Domino sit gloria summa, Deoq;
 Ignea cui parent sidera, terra fretum.
 Visere namque suum populû est dignatus, & ipsum
 Soluere ab ærumnis, seruitioque graui.
 Erexit cornu nobis regnumque salutis,
 In pueri Dauid stirpe domoque sui.
 Sicut per vatam prædixerat ora suorum,
 Quos ætas omnis condito ab orbe tulit.

D 3

Hæc

Hæc est illa salus, quæ nos diro afferet hoste,
 E læua olorum surripietque manu.
 Hoc faciet motus sola pietate, fideque
 Quam nostris patribus pactus, auisque fuit,
 Scilicet ut iurata olim, testataque præstans
 Polliciti memorem se probet esse sui.
 Quo tandem hostili pulsa formidine, summo
 Mente ministremus liberiore Patri.
 Utque simul sanctè vitam iusteque per omnem
 Sese ante ipsius lumina quisque gerat.
 At tu parue Puer summi dicere Propheta
 Cunctaque vincētis quamlibet alta, Dei,
 Illius ante sacram faciem prænuntius ibis
 Venturo puras labe patare vias.
 Notitiam vitæ populo dabis, atque salutis,
 Qua veniam culpæ possit habere suæ.
 Idque per ima Dei pietatis viscera nostri,
 Nos quibus ex alto visitat ille polo.
 Quo procul exitij tenebris à luce fugatis,
 Tranquillæ liceat pacis inire viam.

CANTICVM SIMEONIS.

*Nunc dimittis.**Luc. 2.*

Nunc Domine haud quicquã recipi cū pace sub
 Iuxta promissi verba recusò tui. (vmbra
 Quippe meis oculis missam spectare salutem
 Contigit, oprati summa erat illa mei.
 Mundo omni, cunctisque palam mortalibus illam
 In commune tibi cura parare fuit.
 Lumen ut æternum illustrandis gentibus esset,
 Et decus Isacidis surgeret inde tuis.

HYMN